



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

III. Lutheranismus in Anglia publice concionibus habitis, primum divulgatur. Cramerus Archiepiscopus Cantuariensis ex sacerdotum numero primus in Anglia vxorem ducit. Hugonis Latimeri, primi Anglorum

...

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

moti essent, haud dubie negotiorum illas turbas confusionesque ad felicem aliquam tranquillitatem perduxissent.

II. Erat Iana Seimeræ frater, *Eduardus Seimerus*: hic quum esset Eduardi Regis avunculus, tunc Hertfordiæ Comes, sed paulo post Somerseti Dux, Zuinglianæ hæresios contagione infectus, statuit propria auctoritate seipsum creare Regis tutorem Regnique Protectorem. Quod & fecit, nullo contradicente, præter Thomam Vrisleum, virum Catholicum; quem Henricus summum Regis Cancellarium moriens reliquerat. Statim vero atque summam dignitatem adeptus fuerat, ut eam conservaret, non neglexit quâ plurimos beneficiis sibi obstringere, eorumque benevolentiam comparare, quibus Reipublicæ salute privata utilitas est antiquior. Itaque (quod facile erat) Regi puero autor fuit, ut novorum honorum accessio Regis nomine iis fieret, qui eos mererentur. Factus est ergo *Protector ipse Somerseti Dux*; *Parvus vero Essexæ Comes*, qui Catharinæ ab Henrico relictæ frater erat, Marchio Northamptoniæ declaratur; *Joannes Dudleyus Lilensis Baro*, Varuicæ Comes constituitur; *Thomas Seimerus Protectoris frater*, Sudliæ fir Baro & supremus Classis præfectus; *Richardus Riccius ac Edmundus Sheffeldus* equites aurati renunciantur Barones; omnes hæresici. Et his fundamentis Seimerus auctoritatem suam firmavit. *Thomam vero Vrisleum Cancellarium virum Catholicæ fidei deditissimum*. Suthamptoniæ Comitem declararunt quidem, sed eundem postea & Magistratu se abdicare coegerunt, & ex Senatu Regio tam illum quam *Arundeliæ Comitem*, quod essent Catholici, ejecerunt. Hoc modo quum omnium sibi animos conciliasset, simulque Regiam potestatem consequutus esset, prohibitu eam administrabat: adeoque absolutum imperium exercebat, ut omnia tam Ecclesiastica quam civilia non nisi ex ipsius mandato expedirentur: ipse & Governator, & Protector, & Prorex, & Propapa, & quid non? ira sui ex sorore nepotis puerilem ætatem gubernabat, ut quasi per ipsius os cuncta Rex loqueretur. Quare quum adhuc, licet in schismate, ritu & ceremoniis antiquis Clerici ordinaretur Zuinglianus ille voluit Ecclesiasticos omnes, ad nulla potestatis aut jurisdictionis exercitia aliter accedere, quam ex specialibus novi Regis mandatis, adimens illis Sacramentum Ordinis conferendi potestatem. *Cranmerus* ergo ipse, Archiepiscopus Cantuariensis, & ex antiquissimis

unus, non aliter quam novis Eduardi mandatis, iisque non semper & absolute, sed pro beneplacito pueri, datis ac duraturis, potestatem suam exercere cogitur. Sed ut appareat hæresicos, serpentis Ecclesiæ hostis pestifero veneno inflatæ vanitas, ecce ipsas literas Regis, quibus ad istum Angliæ Primatem ita scribit

Eduardus Dei gratia, Angliæ, Franciæ & Hiberniæ Rex, supremum in terris Ecclesiæ Anglicanæ & Hiberniæ, tam in causis spiritualibus, quam temporalibus, Caput; Reverendo Thomæ Cantuariensi Archiepiscopo salutem: &c. Quandoquidem omnis juris dicendi auctoritas atque etiam jurisdictio omnimoda, tam illa quæ Ecclesiastica dicitur, quam secularis, à Regiâ potestate velut à supremo capite manat, &c. Ad ordinandum igitur quoscunque intra diocesi tuam Cantuariensem, & ad omnes etiam sacros & presbyteratus ordines promovendum, per præsentem ad nostrum beneplacitum duraturus, tibi damus potestatem.

Has atque hujusmodi alias deteriores etiâ Constitutiones Protector Eduardus Seimerus fecit, & Tèpla, quæ Henrici rabies reliqua fecerat, perrexit destruere. Henrico enim propositum fuerat, tantum auctoritatem Pontificiam impugnare, & immortuam illam rupem, cujus fundamenta is jecit, qui oravit, ne deficeret fides illius visibilis capitis, quod ipse ex hoc mundo migrans nobis reliquit. Sed ut melius res succederet, Novus hic Eduardi Protector publico edicto prohibuit, ne quisquam Catholicorum de cathedra ad populum verba faceret, aut Ecclesiæ Catholicæ doctrinam annunciarer, solis Lutheranis & Zuinglianis docendi permissa potestate, quibus facile erat, quum nemo publice contradicere auderet, dolis populum ductare. Hi, ut Foxius scribit, nihil urgebant majore vehementia quam Regem, quum esset & Ecclesiæ & Regni caput, in utroque non minorem habere tum Ecclesiasticam tum civilem potestatem in hac tenera sua ætate, quam habiturus esset jam grandior effectus. Cranmerus quoque ubique inculcabat, Regem adolescentulum plus habere in capite scientiæ Theologicæ, quam cunctos Angliæ Episcopos.

III. Factum est hoc edicto, ut quasi clausis cæli portis, obseratoque divini numinis favore, inferni abyssus apertis faucibus eructaverit ingentem numerum hæreticarum pestium sive locustarum, quæ certatim tum eloquentiam suam ostentabant, tum hæresim profeminabant. *Cranmerus Cantuariensis Archiepiscopus* inter primos prodiit in medium,

dium, jam palam scorto suo pro uxore utens is Carechismum erroribus, impietatibus & Atheismis plenum, Eduardo Regi inscriptum in lucem edidit, primum hæreseos fetum puero consecrans. Henricus non ita diu ante obitum, quandam Hugonem Latimerum propter suspicionem hæreseos, & comestam carnem in feria sexta septimanæ Sanctæ, de Vigorniensis Episcopatu deturbarat, (id quod argumento est, Henricum non nisi Ecclesiæ Romanæ primatum impugnasse.) Hic Hugo Latimerus ubi eam concessam potestatem accepit, cepit passim ex publicis pulpitis detonare & conciones habere: quare comparato aliquo per Angliam nomine, vocatus est deinde *primus Anglorum Apostolus*, nimirum ex infernali illo Apostatarum cætu delectus, nõ autem is quæ olim beatus Gregorius Papa in hanc insulam ad fidem Christi annunciandam misit, Augustinus doctissimus Monachus, aut, talis qui Augustino illi præripere eam Apostolatus post tot sæcula laudem possit. Aduolarunt quoque ex Germania & Heluetia nõ pauci, relictis latebris suis, in quas eodem tempore ob victorias Caroli V. contra protestantes Smalcedici fœderis cõsortes, abdidit, apostata. In his erant præcipui *Ioannes Hopperus, & Milo Coverdallus*. Quibus omnibus, Lutherano & Zuingliano more cõcionandi, ab iis, qui nihil nisi profanas hæc Religionis spirabant, continuo data copia fuit. His de quibus loquor, quorum caput Protector erat, alia etiam ratione ad opprimendam Catholicam Religionem usi sunt. Regis enim Eduardi adolescentiam non nisi corrupto hæreseos lacte enutriendam curarunt, ut jam inde à teneris quasi unguiculis, pravis istis opinionibus imbutus, non facile postea ab eis recederet.

Dantur ergo Regi pædagogi duo hæresi inprimis insignes, qui Zuingliana doctrina illū imbuerent. *Richardus Coxus* uxoratus Sacerdos, & *Ioannes Checus* Laicus; uterque Latinæ & Græcæ linguæ cognitione clarus: qui facile unã cum prima Græmarices institutione hæreseos venenum puerili Regis animo instillarunt. Quin & seminarum ad hanc rem accessit opera. Neque enim una ad hanc ipsi fuit vitæ morumque formatrix, velut *Cornelia Græchis*, aut *Aurelia Cæsari*, aut *Augusto Accia*: verum plures huic Principi adjunxerunt principes feminas, easque hæresi deditissimas, imprimis duas Henrici adhuc superstites uxores, *Annã Cluvensem* & *Catharinam Parram*, quarum opera efficeretur, ut doctrinam propositam eo facilius Eduar-

duis imbereret. *Aulici quoque* ejus atque affectuæ cõmilironesque ex Principum familiaribus adsciti, omnes erant hæresi infecti. Jam, ut dictum est, præconibus fidei Catholicæ cathedras Protector ademerat: post vero etiam Academiarum pulpita Doctoribus interdixit; quã quidẽ ad rem magno molimine & artificio ipsi opus fuit. Nam quia Collegiorum fere Rectores, homines sunt in illa natione magni loci & auctoritatis, referre solet in negotio Religionis plurimum, quomodo Universitates sine affectu. Itaque quum fidem Catholicam maxima pars hætenus retinisset, Protector submotis Catholicis omnibus, in eorum locum iuvenes, quos Lutheri aut Zuinglii manus formaverat, substituit. Nec contentus Doctores profligasse, adversus libros etiam bellum suscepit, qui quidem (ut magni cujusdam Regis voce proditum est) Doctorum consiliariorumque nostrorum sunt præstantissimi. Nam eos auctores, qui Ecclesiasticam doctrinam tradiderunt, *D. Thomam, Lombardum, Scotum, legi prohibuit*. Quinetiam quasi horum clarissimorum Ecclesiæ luminum prorsus sepulchri memoriam, quorum tamen etiam in futuris sæculis laus reflorescet, quorumque nobis in tanta veneratione adhuc sunt nomina, petulantibus juvenes horum Scriptorum ingentem conquisitam struem, per urbem in feretro circumtulerunt; & demum in ignem conjectos cremarunt. Qui quidem ignis aliquando ad æternum ignem illos condemnaturus est. Sed non fuit tum extinctus ille ignis, verum vehementius etiam quam unquam deinceps exarsit; illiusque ardentis rogi fumo horum hominum animarum lumen suffocatum, mentisque oculi caligine obducti sunt. Sane per ludibrium, hoc appellabant *funus seu exsequias Scoti*: sed gloriæ potius ipsorum & fidei appellanda fuit funeratio, qua tunc extincta, nihil illis præter infidelitatem remansit. Nihil in his Academiis vel componebatur vel exhibebatur, nisi versus, cantiones, orationes, comœdiæ, picturæ, ad exagrandam Religionem Catholicam concinnatæ: hæc sola erant tum styli tum penicilli exercitia.

IV. Ad firmius hanc rerum novationem stabilendam, evocant ex Germania tres insignes hæreticos, *Martinum Bucerum, Petrum Martyrem, & Bernardinum Ochinum Italos*, tum Argentorati exsulantes, quibus ampliora præ aliis stipenda constituta sunt. Bucerum Cantabrigiensi Academia, Martyrem Oxoniensi præfecerunt: additis antiquis